Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2955
Quelle:
Copyright:

tus, VI. Non. *Sigismundus*, XVII. kal. Jul. *Vitus*, IV. Non. *Procopius*, XVI. kal. Oct. *Passio Ludmilae*, IV. kal. *Wenceslaus*, IV. Id. Nov. *Translatio Ludmilae* rubro notantur. Succedit Praeparatio ad Missam. Sequuntur *Missae de Tempore* ab *Adventu* usque ad *Festum Corporis Domini*, quarum, quae de praecipuis Mysteriis sunt, initia venustis picturis ἀναλογοις decorantur. Ad Festum *Trinitatis* in margine notatur minio: *Alcuinus magister Karoli magni fecit hoc officium.* In Festo *Corp. Dom. Judam* crine rubrum loculi produnt. Postea *Incipit ordo qualiter preparet se sacerdos ad missam*, et deinceps *Praefationes* per annum eleganter notis muficis insignitae. *Canon* splendidam praefert imaginem Servatoris tribus clavis cruce suffixi in medio latronum, adstante Suorum numero et hostium, quos inter quidam dextrum pendentis latus confodit. Tum reliquae per annum Missae. *Fol.* 196. p. 2. *Incipiunt festa de sanctis Per circulum anni*, et quidem a Missa de S. *Barbara*, quae, cum aliis majoris notae, aeque in litera initiali picturam exhibet, quod miror in Missis Tutelarium *Bohemiae* neglectum esse. Ad Missam B. *Agnetis* notatur: *Ab hac die vsque in octauam beate agne nichil impediat commemoracionem eius in missa.* Finem imponit Collectio inscripta: *Incipiunt Sequentie per circulum anni et Primo In matutina* (Natalis Domini) *missa.*

Grates nunc omnes reddamus domino deo &c.

Litera G. depictum exhibet habitu Pontificio *Sbynconem* genuflexum adjecto, ut jam supra dictum, Scuto gentis *Hazmburgicae*. *Sequentiae* magnam partem *Notkerianae* sunt, ut extant in *Pezii Thes. Anecd.* T. I. p. 15. Multae vero aliae, ut de SS. *Bohemiae* Indigetibus, incertorum Autorum. Mixti etiam *Hymni* notiores.

DCCCXIX.

146 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 30. f. Charactere luculento scriptus et miniatus est *Liber Missalis* ad quandam Familiam religiosam olim pertinens, incipitque ab *Elencho XXIII. Missarum*, quas continebat, hac rubrica: *In isto libro continentur subscripta officia.* Aderat tamen etiam hic *Exorcismus*, *Gloria in Excelsis*, *Credo in vnum*, *Praefationes* et *Canon*, quae tamen omnia a principio amputata sunt usque ad illa verba: *bona creas*, *sanctificas*, *viuificas*, *benedicis et prestas nobis* &c. Post Missas ad calcem habetur Formula sic dictae Absolutionis generalis a peccatis sic rubro inscripta: *absolucio ordini nostro concessa. ab urbano papa.* Urbanus hic in ipsa Formula *sextus* dicitur; sed neque in ejus *Vita* apud *Ciaconium*, nec in *Bullario Romano* legere est,